



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCCXXII.

DIE IV. FEBRUARII.



Isbona, a. d. 9. Jan.

Litteris ex America ad nos missis nuntiatum inter alia est ex praefectura S. Vincentii, in metallis aurariis venas inuen-

tas esse ex quibus tanta copia eruitur aurum, ut incolae eius loci, auri unum pondum cum hominibus nostris pro pulvere cuius in iaculando usus est, aequa mensura commutent.

Madriti, a. d. 30. Decemb. Communis omnium opinio est, *Marchionem Ledensem*, ob singularia in republicam merita, Cataloniae praefectum iri, eum enim apud incolas eiusdem principatus gratia plurimum valere. Litterae, quas proximis diebus Lerma accepimus, docent, *Cardinalem Borgiam*

die 20. Decembris illuc accessisse, statimque facultatem regis salutandi obtinuisse.

Parisiis, a. d. 12. Ianuarii. In arce regia, quam Luparam vocamus, summo iam studio exornantur conclavia omnia, ut Infans Hispanica, Regis nostri sponsa, pro dignitate habitare queat. Dux Orfunensis, Hispaniarum regis legatus extraordinarius, superiori die Veneris, omnes ex Lotharingica gente Principes, qui nunc apud nos commorantur, apparatussum excepit conuiuio; breui enim in Hispaniam rediturus est, vnde nos quoque Ducem S. Simonium, legatione apud regem Hispaniae hoc tempore perfunctum, simulac matrimonium Principis Asturiae cum Montpensieria principe consumatum fuerit, reditum speramus. Cum nuper

per numerus eorum, qui anno præterlapso vita functi sunt, initus esset, plus viginti mille homines, quam superiori anno mortuos comperimus, inter quos centum & amplius morte violenta perempti sunt, non tamen connumeratis iis, quorum cadauera ex fluuio sequana sunt extracta.

Londino a. d. 6. Januar. Vbiuis locorum deliguntur, qui futuris regni comitiis, interesse debent. Scharboroughius, comes, tabulario Northumbriæ, & oppidi, quod nouum Castrum adpellatur, præfectus fuit. Episcopus autem Dunelmensis in locum successit Scharboroughii patris, nuper mortui, cui in

comitatu. Dunelmensi similis honor obuenerat. Whartonum ducem, summum stabuli regii magistrum creatum iri, existimant, num autem Essexiæ comes, loco Stanhopii, qui iam Mantuæ Carpetanorum viuit, res nostras deinceps fit curaturus in Hispania, id quidem nondum habemus exploratum.

Alia a. d. 9. Ianuarii. Classis, quam rex nuper instruendam curauit, vndecim constat nauibus bellicis, quibus quatuor incendiariæ iungentur, quarum hic non solum nomina quibus insignitæ sunt, sed etiam militum, quos singulæ vehere, atque tormentorum, quibus ornari debent adponere placuit.

I. Torbay milites	-	-	-	520.	-	tormenta	-	-	80.
II. Essexia.	-	-	-	440.	-	-	-	-	70.
III. Nassau.	-	-	-	440.	-	-	-	-	70.
IV. Gippeuicum (Ipsuick.	-	-	-	400.	-	-	-	-	70.
V. Breda	-	-	-	440.	-	-	-	-	70.
VI. Windsor.	-	-	-	365.	-	-	-	-	60.
VII. Panther.	-	-	-	280.	-	-	-	-	50.
VIII. Eboracum (Yorck)	-	-	-	365.	-	-	-	-	60.
IX. Vigornia (Worchester)	-	-	-	280.	-	-	-	-	50.
X. Lime regis (Lime)	-	-	-	120.	-	-	-	-	20.
XI. Dursley.	-	-	-	130.	-	-	-	-	20.
Numerus militum.				3780.	Numerus tormentorum.				620.

In quatuor nauibus incendiariis centum & septuaginta viri numerantur vtpote, Betfort. 55. Griffin. 55. Rahel 30. Londinum 30. Classi huic Wagerus cum imperio præfuturus, dicitur. Existimamus vero, alias quoque nouem naues bellicas, eis, quas iam numerauimus additum iri, quibus milites quamplurimi imponi debebunt.

Haga Comitum a. d. 13. Januar. Nobilissimus Lindius, cuius pater Cancellarii in republica nostra munere fungitur, præfectus vrbs Bredæ constitutus est. Tunetanorum legatus, ante hos quinque dies hac transiit, Londinum, quorsum missus est, cursum dirigens.

Agatha, ex Occitania inferiore. a. d. 5. Ianuarii. Atrox pestilentia, quam prope extinctam eredideramus, in prouincia Gabalensi, indies magis ac magis ingrauescit. Non euim tantummodo Mimatum, sed circumiectos etiam agros late peruagata est, quos ita deuastauit, &

& incolis exiit, vt vix humani cultus vestigium in iis deprehendatur. Superioribus diebus, dux Bituricensis, conuocatis Occitanæ, Aquitanæ, & Ruscinonensis *comitatus* præsidibus, Bliteris deliberarunt, qua ratione pestiferæ luis impetus vel plane extingui, vel saltem leuari queat. Heri noster episcopus, peracto sacro solemnique delictorum veniam, quam pontifex Romanus nobis hoc tempore indulget, omnibus præsentibus impertitus est, & sermone, quem habuerat ad populum, illorum refellere adgressus est sententiam, qui impetrata hac admissorum venia, nihil opus esse, arbitrantur pœnitentia, quam potius, vt aiebat episcopus, nunc pontifex serio commendat, atque in hominum animis, admotis quasi igniculis, accendere voluit.

Petriburgo a. d. 27. Decembr. Mercatores nostri nunc plane spe sua exciderunt, & nihil sibi amplius relictum vident, quo imperatoris sui consilium, de commerciis Archangelopoli Petriburgum transferendis, vlla ratione immutari queat. Ille enim in sua adhuc persistit sententia, & edito nuper decreto, mercatoribus leges dedit, ad quarum præscriptum res suas deinceps agere debent. In primis serio cauetur, ne linum & cannabis, quæ texendis funibus inferuiunt, vt alias factum, Archangelopolim perferantur, nisi illa Petriburgo Wolaydam transuecta, ibidemque ad nauium, quæ Archangelopoli ancoris tenentur, vsum aptata fuerint. Vbi tamen illi, quibus illarum rerum cura demandata est sedulo moneantur, vt omnem adhibeant diligentiam, ne forte ejusdem modi suppellectilis aliquid hoc nomine clanculum alio

transferatur. Mercatoribus, qui olim merces Rigam asportauerunt, eadem negotiandi potestas denuo conceditur, illis tamen mercibus exceptis, quas prouincia, Priestan dicta, proferre solet. Rigam autem nihil transmittetur, nisi quod e prouincia Plescouiensi aduectum fuerit. Ceterum, imperator Rusorum mercatoribus promittit, se exstructis proxime variis cataractarum; & aggerum generibus, aquarum, subito ingruentium, vim ita temperaturum, vt nihil deinceps habeant mercatores, quod ex improvisa eluione rebus suis timeant. Illud autem negotium Apraxinii, *comitis*, cuius patruus militiæ navalis apud Russos prætor est, opera perficietur. Is enim illa arte præpollere dicitur, & imperatori jam olim, futurum, prædixit, vt, vbi ventus, nobis aduersum tenens, aliquando exoriretur, & vndas concitaret paullo violentius, eandem, qua nunc adfecti sumus, cladem iterum experiremur.

Bruxellis a. d. 16. Ianuarii. Excellentissimus Comes Windisgratius qui ad conuentum cameracensem ab Imperatore Romanorum missus est, & adhuc apud nos moratur, *Marchionem Prienum*, vna cum coniuge multisque aliis magnæ dignitatis viris, lautissimo adhibuit prandio.

Francofurti ad Mœnum a. d. 16. Ianuar. Nudius abhinc tertius *Seuerissimus Elector Moguntinus*, paucis stipatus comitibus, Moguntia ad nos accessit, atque in palatio *Schönbornii Comitis* pernoctauit; hesternam vero die in campos Steinheimii venatum exiit, quod oppidum itinere quatuor horarum ab vrbe nostra abest.

Holmia, a. d. 7. Ianuarii. Löuenio Prætori a Rege iniunctum est, vt locum ido-

idoneum in Finnonia deligat in quo propugnaculum nouum erigi possit, quam in rem, partem pecuniæ, a Russis ex pacto numerandæ a rege destinatum aiunt. Præfecti militum, qui ex captiuitate, qua apud Russos detinebantur, nuper redierunt, verbis exaggerare factis nequeunt, qua erga eos Magnus Dux vsus fuerit humanitate, omnes enim ac singulos, non solum vestibus donatos nouis, sed & sufficienti instructos viatico dimisit.

Dresda a. d. 16. Januarii. Ex quo regina nostra, ad urbem hanc accessit, varia quotidie ludorum atque saltationum instituuntur genera, quod & hesternâ die apud Baronem Löuendalium, eundemque summum aulæ præfectum, præfente rege atque principe electorali, nec non quamplurimis aulæ proceribus, factum est. Nudius autem tertius in aula regia præfente itidem rege, principe electorali, Leucopetrensi, Vurtembergico, Dolhoruckio atque Lubomirskio principibus, vt & aulicis omnibus ludus hasticus celebratus est, in quo victoriam, cum maximis, quæ proposita fuerant, præmiis, rex atque post eum princeps Lubomirskius reportauit.

Ex Holsatia, a. d. 16. Januarii. Petriburgo accepimus, *Mentzikoum* principem proximis diebus in Poloniam profecturum vt ibi legati perfungatur munere. Holsatiæ Ducem simul ac in Mosconiam peruenerit, numero Equitum S. Andreæ ad scriptum iri. Legato Russico, qui Parisiis est, tria hæc in mandatis data esse ferunt; primum, vt regi Galliæ persuadeat, vt causam Ducis Megapolitani tueatur atque omnibus modis efficere satagat, vt ei regiones restituantur. Deinde vt provincias suecicas a russis bello captas rus-

lici iuris agnoscat. Denique, quod præcipuum est, vt Magno Russorum Duci, cæsaris in posterum titulum publice tribuat; hoc vt eo promptius rex Galliæ faciat, induci vel eo posse, quod Imperator Russorum eidem titulum Regis Christianissimi nunquam non attribuerit, quin etiam legatis eiusdem, principem semper in aula sua locum dederit.

Vienna, a. d. 28. Januarii. Hesternâ die Nobilissimus Henricus Treulingius, cursor Cæsareus, Petropyrgo redux factus, docuit inter alia, Magnum Russorum Ducem, ipsis calendis Januarii iter Moscuam versus ingressum esse, eodemque & Comitem Kinskyum legatum Cæsareum se contulisse.

Alia, a. d. 31. Januarii. Imperator Augustissimus, præterlapsis hisce diebus sæpius iterumque sanctiori coacto consilio de rebus summis consultationes instituit, videlicet die 27. 28. atque 30. Januarii. Hesternâ præterea die, per præcones publicos, vsu laruarum, omnium ordinum hominibus, grauissima posita pœna, interdicendum curauit.

Pofonii, a. d. 4. Febr. *Excelsa Regiaque Commissio* partem utramque serio monuit, ut quæ nondum adhuc traderunt scripta examinanda, ea quamprimum elaborare satagerent, quo negotium, quod ex uoluntate Imperatoris Augusti trium mensium spatio absolui debebat tandem ad finem perducatur. Ne vero ipsa quoque *Commissio* partibus sibi mandatis deesse videatur, quosdam de numero suo delegit, qui ea, quibus pars vtraque maxime nititur, documenta penitus excutiat.